

« Sanctissimo patri et domino Honorio [a], Dei gratia summo pontifici, S. de Iun-
 « villa, E. de Casten, Gaüt. Danomons [b], Ph. de Placelo [c], Ansericus de Coce-
 « to [d], ac alii barones regni, in exercitu Christianorum ante Damiatam commoran-
 « tes, salutem cum osculo pedum. Cum pro liberatione Terrae Sanctae et ampliacione
 « regni Ierusalem Crucesignatorum exercitum regnum Babiloniae [e] audivissemus
 « interesse et civitatem Damiatam obsedis, ad ejusdem [f] Terrae deliberationem in-
 « tendentes, festinavimus illuc ire. Igitur [g] cum [h] ibi moram fecissemus pro ser-
 « vitio Iesu Christi, a nobis peterent infideles foedus treuguarum, antequam expu-
 « gnata esset praefata civitas, offerentes nobis, quod redderent praefiosum lignum
 « Christi, et totum regnum Hierosolimitanum, exceptis duobus castellis, de quibus
 « annuatim tempore treuguae tributum reddere promittebant; reddere similiter omnes
 « Christianos captivos, qui in duobus regnis detinentur, Egyptiaco videlicet et Da-
 « masceno; volebant praeterea dare pecuniam ad reaedificandam civitatem sanctam
 « Ierusalem. Nos autem petebamus totum regnum Hierosolimitanum. In hoc tamen
 « fuit definitum [i], ut numquam super hijs ulterius tractaretur, et praefatam civita-
 « tem expugnaremus. Contingit autem [j], quod, auxiliante Divina potentia, expugnata
 « est et capta, ad laudem, et ad gloriam nominis Christianorum. Unde supplicamus
 « Sanctitati vestrae, quatenus ad liberationem Terrae Sanctae, pro qua fuit inchoatum
 « hoc opus, dum licet, misericorditer intendatis, scientes, quod ultra passagium Maii
 « pauci de nostris in hoc servitio permanebunt, gravati plurimum tam laboribus
 « quam expensis, unde necesse est, ut super his vestra provideat Sanctitas, si quid
 « noverit expedire. Datum Damiatam XII. die introeunte mense Novembrio.

2/ 3/ 4/
 5/

Nov. 12.

Quando Imola fuit obsessa a Faventinis.

CAP. CLXIII.

Cum Imolenses multas maximas, saepissime sine causa, Faventinis intulissent [j]
 injurias, Faventini, sub anno a nativitate [k] Domini MCCXVIII, die XVII. mensis Maii,
 sub Gallino de Aglarate [l], cive Mediolanensi, rectore [m] eorum, civitatem Imolae
 obsederunt, convocatis ad eorum servitium Bononiensibus, Caesenatibus, Pomiliensi-
 bus et domino Aginolfo, filio comitis Guidonis Guerrae [n] de Tuscia. Et cum hostili-
 ter devastassent domos et villas, segetes et arbores cunctas circa civitatem [o] usque
 fossata, die XXIII praefati mensis, more majorum, commiserunt bellum cum [p] civibus
 intus reclusis, eos debellando, occidendo, capiendo, etiam sub ipsa porta quae dici-

Maii 17.

Maii 23.

[a] domino Honorio. Sic lego. In C. M., domino H.; in C. V., Domino nostro. — [b] Gaüt. Danomons. Sic Codd. — [c] Ph. de Placelo, C. M.; princeps de Placelo, C. V. — [d] De Coceto, C. M.; de Coseto, C. V. [e] signatorum exercitum regem Babiloniae, C. V.; signatum exercitum regem Babiloniae, C. V. Hic quoque irrepsit aliquod mendum, vel aliquid fuit omisum. — [f] ad ejusdem, C. M.; ad ejus, C. V. — [g] Igitur cum, sic videntur habere Codd. Cl. Mitt. potius legit, et cum; quod magis arripet. — [h] In hoc tamen fuit definitum, C. V.; in hac tamen diffinitum, C. M. — [i] Contingit autem. Sic Codd.; pro contigit. — [j] Faventinis intulissent, C. M. In C. V. deest, Faventinis. — [k] Sub anno a Nativitate. Supplevi anno. In C. V., sub nativitate. — [l] Sub Gallino de Aglarate. In Codd. est, sub Gallino ad Aglat, nempe nota compendiarie, quam invenio communiter expressam, de Anglarate. Cl. Mitt. eam vertit, aut de Aglate, aut de Aglarate, quam postremam lectionem sequi satius duxi. — [m] cive Mediolanensi rectore, C. V.; civis Mediolanensis rectoris, C. M. [n] Guidonis Guerrae, C. V.; Guidonis Guerra, C. M. — [o] circa civitatem. Sic lego C. M.; citra civitatem, C. V. — [p] bellum cum, C. M.; praelio cum, C. V.